

11.

Q. D. B. V.  
REIP. AC ECCLESIAE RIGENSIS  
ANTISTITES,

Utriusque Lumina atque Columna,

*Quin imo*  
Aures quascunque doctas,  
*Ut*

DE BELLO CON-  
TRA TURCAM  
SUSCIPIENDO,

Juvenem Ornatisimum,  
MELCHIOREM MARTENS,

Uxkulâ-Livonum,

*Ad VII. Aprilis horam X. matutinam,*  
*In Lycei nostri Acroaterio,*

Verba facturum pronô excipient affectu  
demissè ac officiôsè invitat

M. HENNINGUS WITTE,

ELOQ. ET HIST. P. P.

---

R I G A E,

LITERIS BESSEMESSERIANIS.



Xhorrescit meritò Republica Christiana ad Ottomannicam illam grandinem, quæ in Romanum hodie Imperium concitata prurit, furit, ruitque, in ruta & cæsa, nisi potentius ei Numen obstiterit, mox omnia dejectura. Non enim stilo, sed pilo, non verbo, sed ferro, dissidentes à se in Religione quoscunque supprimere Saracenorum fatagit tyrannus immanissimus. Hinc nec Evangelii lucem, nec Christi ferre crucem canis ille potest Turcicus; sed, quantus quantus est, pusillum fidelium gregem oppugnare, expellere ac trucidare truculento secum volvit animo. Causa verò belli nuper illati nulla sanè est alia, quàm immensus fastus & infaustus Sultani spiritus, intermissus aliquandiu & suspensus, sublatus tamen ac malaciâ detentus minimè. Fatô siquidem existimat prorsus fatuô, in omnem sibi terrarum plagam dirissimum competere dominium, ut totam inde Europam in caulam potius, quàm aulam expetere audeat. Quocirca reconditum hic Altissimi veneramus consilium, quod vastissimum illud Orientis imperium tam violentum, tam sœvum, totque hactenus parciidiis infamatum, aliquot durare seculis permiserit. Miramur, quod Arbor Musulmannica ad extremum usq; stirpis ramentum licet interdum decisa; attamen, ramô und evulsô, nunquam alter defecerit, sed in hunc usque diem continuô floruerit. Dubium equidem serenis mentibus nullum est, quin dominatus Ottomannicus suam habeat periodum, mensuramque coelesti calculô designatam. Imo verisimile, inclinare ejus potentiam magis ad decrementa, quàm altius post-hac assurrecturam. Si quinque seculis orbis plerumque constat fatalis, observante Berneggerô, Politicorum smaragdô, jam furor Saracenicus, ultra sui orbis dimidium egressus, exspirationi erit proximus. Mahometismus, inquit Cornelius à Lapide,

Lapide , nunc effætus consenescit , suaque sponte ad interi-  
tum ruit: Peregit suum seculum, suam vixit ætatem, magnam  
ætiique mille annorum , quibus stetit viguitque impia Maho-  
meti lex, iüsque elapsis , occasurum ipse olim prædixit Maho-  
met. Quò respicere videtur Ezechiel, ingentium mysterio-  
rum contemplator æquè ac interpres illuminatissimus, qui, di-  
vinâ monitus inspiratione , Gogum & Magogum suæ quando-  
que savitiæ gravissimas luiturum pœnas præcinuit. Cui &  
Johannes, Evangelistarum Aquila sublimis & Theologus si-  
ne pari, Apocalyptico suo vaticinio ex asse congruit. Verùm  
enim verò quid peregrinis illis intelligendum sit nominibus,  
tanta se offert sententiarum diversitas, ut veritatem vix inven-  
eris , etiamsi Solem ipsum indagatorem constitueris. Voca-  
bulum גּג origine Ebraicum esse, fatentur omnes, quotquot  
lingvæ istius sunt gnari. Num autem descendat ex גּג per  
aphæresin , ceu quidam censem, ut unum idemque denotet.  
Sive potius גּג, quod tectum significat, adeoq; Gog ille sit,  
qui sub tugurio habitat, id aliis plenius dijudicandum relin-  
quimus. In præsenti sufficiet, nudè & in transcurso recense-  
re, quid de difficillimo hocce Scripturæ sacræ oraculo sense-  
rint alii. Ambrosius ambroſia dulci dulcior inter Mediola-  
nenses Episcopus, assimili fortè literarum fono deceptus, Go-  
gum Gothum esse pronunciavit. Isidorus Hispalensis suffra-  
gatur ei, asserendo , Gothos à Magogo, Japheti filio, suam  
duxisse originem. Quocirca non detuere, qui, ex mascula  
istorum populorum progenie, bellicosissimos surrexisse Go-  
thos contendunt, in primis cùm illorum attestentur tempo-  
rum Annales, gravissimè quondam Gothos afflixisse Ecclesi-  
am. Adeò enim fortes exstiterunt, ut Italiam , Galliam , Hi-  
spaniam , magnamque tam Asiam, quam Africæ partem subjugare  
potuerint. Quid? quod Romanum, orbis caput, everte-  
rint, aliasque passim urbes mœnibus munitas altissimis , solo  
adæqua-

adæquarint. Mentem horum fuisse credunt, antiqua delere  
omnia, ac alterum constituerem mundum, ne præteriorum  
ullum remaneret seculorum vestigium, sed tota vetustatis me-  
moria exstingveretur, quò ipsi deinceps per universum or-  
bem, tanquam novi ejus conditores, celebrarentur. At con-  
sumptos penitus, cunctasque eorum contentiones, ad ma-  
gnam mundi gloriam florescentes, corruisse dudum, lugu-  
bris abundè docuit eventus. Hieronymus Stridonensis,  
Presbyter eloquentissimus, mira Judæorum refert deliria,  
Gogum nempe Anti-Messiam statuentium, & Magogum  
gentes esse Scythicas, intra montem Caucasum, Mæotidem  
paludem & mare Calpium delitescentes: Illas, in prima Mes-  
siæ apparitione, Hierosolyinis futura, agmine factō, proru-  
pturas, cumq[ue] ipso Messia prælium commissuras, tanta cum  
eorum strage, ut Judæi intra septennium non opus habituri  
sint aliâ lignatione, quād de Gogitarum armis, igne com-  
burendis. Ritum profectō hæc meretur fabula, non ἐλεγχον.  
Insulsius Rabbi Abarbanelis figmentum, Gog & Magog de  
mutua exponentis clade, inter gentem Nazarenam seu Chri-  
stianam, quam Edan nominat, & Turcas, quos Ismaélitas vo-  
cat, circa Hierosolymam futura. Quād obtusō autem Apel-  
la hic militet telo, vel cæcus est, qui non videat. Augustis-  
simo Hipponeñium Antistiti, Augustino, ea præ aliis allube-  
scit explanatio, juxta quam Gogus omnes in genere adversa-  
rios, Magogus verò ipsum exprimit Diabolum, serpentem  
antiquum, gentium istarum tectis quasi inclusum. Neque ab  
illa multū desiliunt, qui sicut per Gogum hypocritas, ve-  
ram Dei Ecclesiam occultō ac nocivō prosequentes odiō; ita  
quoque per Magogum apertē impios, ex turpissimorum sce-  
lerum colluvie prognatos, & ab omni honestatis simulatione  
alienos, intelligunt. Præter hæc sententiarum de Gogitico  
excidio divortia, & aliam fovit Theodoretus, Cyrensis Epi-  
scopus

scopus verè Deo dicatus , cuius deinde Beroaldus , Pererius , Tremellius , Junius , Grotius , Maresius , & alii legerunt vestigia . Hi Gogum de Regibus minoris Asiæ ac Syriæ , ac nominatim Antiocho Epiphane , in Ezechelianō interpretantur oracula . Atque id liquidò satis patere arbitrantur , quod Prophetæ adversus Principem aliquem capit is Mesech & Tubal , quem nullum putant alium , quam Antiochum , Mazazæ caput seu Cappadociæ , & Tubal seu Iberiæ Asiaticæ , suum direxerit sermonem : Hosce autem populos paruisse Antiocho , evincit Appianus . Accedit , quod idem ille Rex quoq; fuerit Syriæ , in qua civitatem extitisse , Magogum dictam , ambigere nos haud sinit Plinii testimonium . In Cœle , ait , Syria civitas est , quæ ab aliis Hierapolis nuncupatur , à Syris Magogum . Quin imo palmarium interpretationis hujus robur in ipsa morte atque interitu Gogitico exprimi firmiter sibi persuasum habent . Expressè etenim Deus hic minatur : Gogum peste ac sangvine judicabo , superque exercitum ejus ignem & sulphur pluam . At hæc in Antiochum maximè quadrant . Periit quippe non acerbō solūm , sed ignominiosissimō mortis genere , peste scilicet , dirō viscerum dolore & amaris internorum tormentis . Nec mitiori fafo totus ejus , quem eduxit , exercitus interiit , utpote sulphure igneque tactus cœlico , luctulento admodum divinæ Nemeseos argumento . Rursus alii novas ex sacro hoc armamentario educunt copias , oppugnaturi strenuè Anti-Christum , non Vtopicum illum , quem Bellarminus cæterique ejus Sodales frustrà petunt , sed Papam Romanum , debellatum à Chamiero , Forbesio , Coccejo , nec non à Nostratibus Dannhauero , Dölingio , aliis . Quis enim hodie majori cum nisu principatum capit is Mesech & Tubal affectat , quam summus Romæ Pontifex , Servus ille servorum , ut tamen Dominus emineat dominantium , dum immenso se super Reges atque Principes fastu extollit ? Adhæc

ex ipsa contextus *ovvētēia* capitumque cohærentia clarissimè probari posse affirmant, hanc Gogi expeditionem esse Anti-Christianam, & tanquam *συμέσον περιγράμμενον* nostræ prænun- ciari redemptionis, nisi fortè quis Vatem aliena heic extra- ordinem immiscuisse statuat. Quò & montes respicere vi- dentur Israëlis, in quos Gogum horribili quandoque machi- natione irrupturum prædixit Ezechiel. Si immanem Anti-Christi Occidentalis furorem, quò in verè Christianorum re- gna ac principatus vice haud simplici debacchatus est, lugubri recolere mente velimus, vix ovum ovo tam simile, quam Præsuli Rōmano Gogum apparebit. Restat, ut & ultima, eaque à plurimis tum è castris Pontificiis, Pinto, Genebrar- do, Corn. à Lapide, Torniello, tum ex nostris Megalandro Luthero, Wigando, Gesnero, Csiandro, Gerhardo, aliisque recepta adjiciatur sententia. Hi ad unum omnes, Gogi & Ma- gogi nomine, Mahumetem designari, Antichristum Orienta- lem, gravi argumentorum pondere asserunt. Nomina quip- pe vocumque notationes ei exactè competere, ac Maurita- nam concinnè adumbrare gentem, minimè ambigunt. Et- enim Gogum, idiomate Eberino, tectum notare, Magogum verò sine veleextra tectum, jam supra tetigimus. Id quod Scy- this, quorum non infima pars Turcæ, familiare fuisse, nemo non ignorat, siquidem venationibus & prædationibus supra- modum dediti, tuguriola sua, plaustris imposita, circumve- here quondam solebant. Unde & Græcis scenitæ seu ἀμαξο- βίη, Syris autem Magogitæ vocari meruerunt, Herodoto & Mela auctoriibus. Et ut silentii involvamus sipario, Me- sech pari referre modò Scythes, quos antiqui Moschinæos ap- pellârunt, veluti legere est apud Strabonem & Xenophontem, ac Thubal Tartaros indigitare. Præterea si ad armaturam Gogiticam animi vertamus aciem, equos & equites aspicie- mus, loricis vestitos, hastas, elypeos, gladios. Itanamque in- structi,

structi procedunt ad prælium Turcæ, rei equestris peritissimi :  
Si verò socios intueamur, quos Propheta Gogo adjungit,  
Æthiopes nimirum, Lydios aliosque, abundè mox conitabit,  
nullum hodie dari Principem, nomini infensum Christiano,  
cui isti pareant populi, præter Sultanum Ottomannicum. Nec  
desunt, qui in Ezecheliano mysteriorum labyrintho malunt  
*ἐπέχειν*, ac præstolari eventum, certissimum Prophetiarum  
indicem, ac utriusque Antichristi fatalem terminum jam ante  
fores esse credere, quā maliquid certi determinare. Quicquid  
sit, nostrarum erit partium, Dei implorare misericordiam.,  
ut ipse mille dolos atque laqueos, pusillo gregi suo stratos, quin  
& crudelissima in muros Israëlis machinamenta denuò immit-  
tenda, potentissimò suò resolvat spiritu, simulque Christianis  
militibus robur atque animum largiatur, ferocissimos Canis  
Musulmannici insultus fortissimā excipere manu, eundemque  
penitus perdomare. Qua de re novellus Declamator noster  
pluribus dicere gestit, & quæ ad necessaria hujus temporis mo-  
menta spectare poterunt, non adeò insipidò promete sermone  
allaborat. Ut igitur Artium bonarum Mæcenates, Fautores,  
Cultores, honorificâ præsentia suâ Auditorium, uti sæpius an-  
tea factum, exornare nostrum ne graventur, summâ devotione  
ac decenti rogantur comitate. Cæterùm quo de subjugan-  
dis Saracenis melius speremus, nova in nobis requiritur prio-  
ris vitæ textura, ac generosa quædam παλιγγενεσία, adque ima-  
ginem Christi (expulsò lare Antichristianò) conformatio.  
Nam sicut in Hydræ illo serpente capita renasci amputata so-  
lebant; ita & peccata è peccatis consuetudine obfirmata re-  
viviscunt. Illa autem si enle, ut decet, Herculeò resecabi-  
mus, ac conjunctis Christianorum viribus acerrimè pugnabi-  
mus, tum brevi de Turca totoque Oriente amplissimè trium-  
fabimus. P. P. Rigæ d. VI. Aprilis, Anno cœc. loc. xxciV.